Numerus 6 - Anni II
:: :: Iunius 1925 :: ::

Roma (30) - Via S. Nicola da Tolentino, 8

ACIES ORDINATA

EPHEMERIS MENSTRUA NOSTRIS DIRECTORIBUS CONGREGATIONUM B.M.V

OBLATA A SECRETARIATU CENTRALI CONGREGATIONUM B. M. V. :: :: ::

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

De Sodalibus inducendis ad meditandum

de B. M. V. virtutibus.

(Ex opere quodam P. Franc. Costeri).

Radix et fundamentum totius fervoris Sodalitii amor ac reverentia Deiparae sunt. Hodiedum peritissimus quisque Congregationis Director optime novit, tum demum finem Congregationis facile obtineri, cum Sodales ad Beatae Virginis filialem amorem excitare licuerit. Hanc eandem fuisse mentem primorum iam Congregationis Marianae Directorum antiquitus partam usuque longo probatam, exemplo ostendere liceat viri clarissimi, plurimumque de primis Sodalitiis Marianis in Belgio et Germania meriti, Patris inquam *Francisci Costeri* S. I., Canisii socii et amici.

Costerus, qui Congregationem primus in Belgium ac Germaniam invexit, libellum edidit meditationum de vita B. M. V., qui hodiedum usui esse potest. Quem libellum praefatus ita Sodales Marianos ad pietatem et litteras adhortatur :

" Vos autem, Sodales, quibus tanta pie vivendi, bonisque litteris mentem exornandi commoditas oblata est, hoc tempus non negligite, ne praetermittite. Cum enim inter homines agenti animarumque auxiliis operam danti duo haec necessaria sint: *integritas vitae et eruditio*, quorum alterum si desit, parum ad aliorum utilitatem promovebit vel homo eruditus sed improbus, vel homo pius sed indoctus; multum ex re vestra erit atque ad Christianae reipublicae commodum faciet, si hac aetate vestra, hoc loco, hac commoditate facilitateque utrumque vobis paretis, Virginisque Matris auxilio virtutibus simul et litteris studeatis ".

Tum ad meditandum de B. Virginis virtutibus Sodales fusius cohortatur, quam cohortationem huc transcribere iuvabit :

" Ut in agnitionem Virginis Matris veniamus, conferet imprimis serio frequenter eius mores, vitamque tum ex sacris Litteris, tum ex Patrum scriptis contemplari, sanctaque meditatione animum ad hanc Virginem attollere, qua meditatione non hoc consequemur tantum, ut Virginis sanctitatem, maiestatem et potentiam agnoscamus, admiremur, veneremur; sed :

Primo quidem, ut illius memoriam innovantes, simus *ipsi gratiores*. Sicut enim, dum in humanis nobiscum ageret, omnem suam laudem profundissime humilis Virgo abhorrebat: ita, iam in gloria, clementi gratoque animo suscipit honores et laudes, eo nimirum loco constituta, qui gloria et laudibus sanctorum est consecratus.

Secundo vero, ut adversus haereticos Deiparae Virginis osores, semenque serpentis, honoremque Matris Christi *omnibus viribus tueamur*, et propagemus.

Tertio, ut sanctos eius *mores imitari vitamque* studeamus. Ipsum enim Christum licet imitationi nobis datum sciamus, excusat se tamen socordia nostra, quod divinam eius naturam atque potentiam assequi non possit. At Virginis saltem cur sanctitatem non imitemur, nulla praetendi potest excusatio, quae et homo tantum fuit, non Deus, et sexu mulier, et conditione pauper.

Quarto, ut eius *preces imploremus*, quibus gratiam, favorem, auxiliumque obtineamus, et Virginis ope in rebus omnibus nostris iuvemur, ac felici demum exitu hanc vitam claudamus. Tria enim sunt praecipue ab hac Virgine petenda et exspectanda :

1° Ut pro nobis Filium *roget*, quam ille utique exaudiet in omnibus pro sua reverentia;

2° Ut non solis orationibus, sed *ope quoque sua* nobis subveniat tamquam Coeli Regina et mundi Domina. Videmus infirmitate circumdatos mortales et precibus multa posse, rebus quoque ipsis sibi a Deo concessis aliis opitulari, divites opibus, principes potentia, viros doctos scientia. Quid ergo mirandum, si Sanctos et in felicitate sua sancitos, adeoque regnantes in coelis, non solum precari, sed vere etiam adiuvare, et pro data sibi gloria nostris rebus succurrere necessitatibusque fateamur? Alligant enim reges in compedibus et nobiles in manicis ferreis (Ps. 149, 8).

3° Ut in *mortis hora non desit*. Sicut namque per Virginem Matrem suscepimus Filium, ita per eamdem nos suscipiet Filius. Gaudet Virgo, utique felix porta, nos ad Christum transmittere; gaudet nos suis manibus Filio offerre, quos tam caro sanguinis, dolorum, mortisque pretio redemit; gaudet se gaudium offerre Do-

mino nostro, qui sanguinem suum laetatur in nobis non periisse.

Denique meditationes quae de suavissima Virgine suscipiuntur, admirabilem solent *animi suavitatem* procreare. Ut enim est Virgo dulcis et dulcedo nostra, ita dulcis est ipsius recordatio, dulce de ipsa colloquium, dulce omnino quidquid ad eam refertur et pertinet. Observarunt plerique hymnos et antiphonas caeteraque quae in Ecclesia ad Virginis laudem decantantur, singulari quadam suavitate aures Catholicorum et mentes oblectare. B. Bernardus, qui dictionis suavitate melliflui nomen invenit, dum nusquam a Mariae praeconiis abstinet, ex castis uberibus dicendi suavitatem meditando quasi suxisse perhibetur. Et quisquis denique frequens est cum Virgine dulcissima, contrahit sibi aliquid ex Virginis dulcedine, ex placidis moribus, ex interna suavitate.

Iam vero, sicut permultum refert, quomodo externis oculis pictam tabulam intuearis: leviter an fixe, oblique an directe, attente an aliud cogitans, ut movearis, an ut artem admireris: ita ad utilitatem nostram multum interest, ut certa methodo hasce de Virgine meditationes instituamus, affectusque in nobis varios excitemus. Si namque meditemur tantum, ut sciamus, ut alios doceamus, ut morum eius pulchritudine oblectemur, parva ad nos ipsos redundabit utilitas. Sed tunc demum utiliter in hac contemplatione versabimur:

1° Si ex vita et gloria Virginis *in Dei exsurgamus admirationem, amorem, et gratiarum actionem*, qui tanta caritate humanum genus est complexus, ut non solum ipse humana carne vestiretur, sed ex hominibus sibi eligeret Matrem Virginem, omnibus virtutibus adornatam, misericordem, nostrisque amantissimam, cui tantam in seipsum daret auctoritatem, ut matri in filium, utpote quae Deo auderet dicere (Luc. 2, 48): *Fili, quid fecisti nobis sic?* Tantam conferret in omnes creaturas potentiam, ut esset Regina Coelorum et Domina Angelorum, orbis Moderatrix; tantam caritatem erga homines infunderet, ut se nobis Matrem exhiberet, patronamque, advocatam et mediatricem apud Filium.

2° Si *mores nostros ad Virginis Matris vitam componamus*, eius profundam humilitatem, ardentem caritatem, internam animi quietem imitemur, totumque externum et internum hominem recte constitutum habeamus.

Dum enim Mariam contemplamur, ob oculos nobis ponenda est Virgo castissima, gravis moribus, amans silentii, mente in Dei voluntatem intenta, vacua perturbatione. Suavis et affabilis, sed non levis. Modesta, sed non morosa. In verbis factisque suis prudens et attenta. Humilis corde, contemptrix sui, mansueta et mitis; fortis in difficultatibus; patiens in adversis, non dejecta; moderata in prosperis, non effusa; sollicita in officiis, non anxia. Fide in Deum firmissima, spe securissima, caritate ardentissima, obedientiae studiosissima, tota in Dei nutum resignata. Denique in exteriore homine sic composita, ut omnibus reverenda esset, atque amabilis; in interiore vero homine sic constituta, ut nihil pravum, nihil insolens, nihil inordinatum esset in Virgine, sed cogitationes animi, naturalesque affectiones et propensiones perfecte parerent rationi; ratio in omnibus subdita esset Deo; voluntas nihil nisi ex iudicio rectae rationis ceteris membris et potentiis imperaret.

3° Si ad varios affectus eius etiam in nobis aliquos motus concitemus, gaudenti congaudeamus, dolenti compatiamur, gloriosae congratuleremur. Habuit in hac vita intensissimos frequentesque animi dolores ex Filii incommodis, malis, passione. Gavisa est non raro, *et exultavit laetitia inenarrabili et glorificata* (I Petr. 1, 8), ex Filii sui caritate, praesentia et gloria. Sed neque doloribus concidit animus, neque inaniter gaudio exultavit, neque gloria efferbuit insolenter.

4° Si qua par est devotione, ad eius cultum venerationemque excitemur, et

1° quidem Matris Dei perspecta dignitate, Virginis humilitate, Reginae gloria, *admiremur;*

2° immensis ei a Deo collatis beneficiis *congratulemur;*

3° eam Deo dilectissimam, nostrique amantissimam *vicissim amemus;*

4° nobis, qui talem nacti sumus in coelis Dominam, Patronam et Advocatam, *gaudeamus;*

5° eius laudes et in animis nostris et aliis *palam praedicemus;*

6° eam reverenter angelicis verbis, aliisque orationibus *consalutemus;*

7° ei pro continuis suis in nos beneficiis, pro materna cura, pro tutela, pro favore *gratias agamus;*

8° eius *preces et auxilium* pro nobis proximisque nostris vivis et vita functis humiliter *postulemus;*

9° Deo nos ipsos nostraque omnia *per eam consecremus, dedicemus et offeramus;*

10° *venerationem, honorem, cultum* internum et externum, qualemcumque in Ecclesia docemur, *ei devote exhibeamus.*

His modis si de Virgine meditemur, et ipsi augebimur virtutibus, et Dei Matrem nobis propitiam reddemus, et Filium eius Christum, qui Matris suae honore delectatur, nobis conciliabimus ".

Ecce uberis materia ad tractandum cum Sodalibus de modo considerandi B. M. V. virtutes.

De apostolatu preli

III

Contra pestiferos mali preli ausus Catholici diu obviam ire omiserunt. Sic " mala per longas invaluere moras ". Sic omnia nobis praerepta, hostis omnia invasit. Nec desidia tantum aut pigritia Catholici ab hoc labore retinebantur, verum etiam coecitate quadam, qua omnia alia maioris momenti esse autumabant, quam curam publicae opinionis erga religionem. Sicut in quaestione sociali, ita etiam in quaestione preli Leonis XIII prophetica fere effata aut ignorarunt, aut laudabant utique, sed exsequi morabantur. Rari erant, qui cum Moguntinensium Episcopo *Ketteler*, Leoni XIII carissimo, dicerent: S. Paulum, si nunc temporis ad terram reverteretur, diurnalia fuisse conditurum.

Iam praestat serius quam nunquam medicinam parari. Quomodo hac in re laborandum sit, paucis exponamus.

1. Inprimis omnibus, qui Ecclesiam amant et apostolico igne ardent, **periculi huius magnitudo** *ob oculos est ponenda et bene intelligenda.* Constare universim oportet, vix esse maius periculum, quod religioni moribusque hodie impendeat, quam prelum anticatholicum. Inuri oportet bonorum animis, quam sit exitiosum ac pudendum, ephemerides malas saepe et numero et amplitudine et rerum varietate et in populo diffusione multum antecellere bonis diurnalibus, totam fere hominum multitudinem veneno illo cotidie infici, hostes Ecclesiae sensim sine sensu omnium rerum publicarum per scripta potiri. Loquendum est saepe cum in sacro pulpito, tum in Sodalitalibus, tum aliis in locis de preli momento, de iniuriis quas religio a malis ephemeridibus patiatur; ostendenda exempla, praelegenda (si fieri potest) et confutanda specimina quaedam ex eis, ut pateat, quo pacto quave perfidia religionem impetant et Ecclesiam; inflammandi boni, ut agmine ducto in tam subdolos fortesque inimicos signa inferant.

Usu docemur vehementer excitari zelum defendendae veritatis et Ecclesiae, si exemplis citatis modus, quo hae impetantur a scriptoribus perversis, exhibeatur. Quam rationem agendi Directores quoque Congregationum cum fructu adhibebunt; sic etiam varietas aliqua in vitam Congregationum inferetur et Sodales ad fortiter pro re catholica agendum impellentur.

2. Excitato sensu et agendi zelo, ad laborem ipsum veniendum est. Duplex est officium Catholicorum circa prelum: *defensivum* et *offensivum.* Id est: impugnanda, vitanda, repellenda sunt scripta mala; edenda, legenda, propaganda scripta bona.

A) Repellenda scripta mala.

Memoriae imprimis infigere debent omnes: quicumque Catholicus sine vera necessitate ephemeridem malam emerit, legerit, domi retinuerit, non modo contra conscientiam et leges Ecclesiae peccare (idque in confessione aeque accusari debere ac missae omissionem), sed etiam *proditorem esse* rei catholicae, transfugam, inimicorum opes et influxum augentem. Saepe enim vel boni ita sese excusant: sibi non nocere, etsi quid acatholicum lectitarint. Quibus recte respondet P. Kolb: non agi de tua tantum cute, miserrime, sed *ignavum te esse et inhonestum*, si vel uno obolo hostes religionis ditaveris; si vel uno gradu ad castra inimicorum descenderis! Si iudaeo vel protestanti ephemeris catholica offertur, cum contemptu eam reiicit, neque unquam vel centesimam nummi pro ea edit. Sit igitur etiam nobis punctum (ut dicimus) honoris: nec nummum pro mala ephemeride unquam dare, neque attentione nostra, lectione, commentatione sordes illas honestare. Non tibi nocet, inquis? Esto! (quamquam non est verum). Sed nocet iis, qui te vident ista legentem; nocet liberis, servis, hospitibus, qui eiusmodi ephemerides domum tuam introductas inveniunt et legunt, honestas eas esse putantes, quod apud te eas repererint. Quid tantum curamus id, quod tam alienum est a nobis, a nostra fide, a nostris moribus, a nostro gustu? Quid genua quasi flectendo ad hostes accedimus, ut eorum sapientiam emendicemus? Quid canum instar ad eorum pedes provolvimur, ut ollas putridas devoremus, quas illi nobis e sua culina proiiciunt? Comedant ipsi, quod coxerunt; nos puriores cibos quaerere, limpidiores haustus eligere decet.

Neque satis est nobis ipsis a venenatis cibis abstinuisse, sed agendum est, ut *alios quoque ab iis retrahamus.* Quare optimus quisque data opera in id incumbet, ut ubicumque mala scripta apud Catholicos vel quoslibet viros honestos repererit, statim contra hoc dedecus ad arma conclamet. Argumentari oportet, ad liberos familiaeque honestatem provocare, dissuadere, perfidiam preli illius explicare. Non est Catholicis tolerandum, ut istiusmodi scripta in bibliothecas publicas, scholas, recreatoria virorum honesta admittantur, ut publicae notitiae in iis inserantur, ut in officinis nostris vel territorio quomodocumque nostro vendantur. Deterrendi sunt mercatores, industriales, bancarii nostri, ne annunciationes suas talibus ephemeridibus dent. Imo publicis concionibus et manifestationibus contra eiusmodi diaria protestandum, officia Catholicorum contra ea evolvenda et urgenda, calumniarum, mendaciorum et immoralitatis nota eis publice inurenda (dummodo iuste), ut omnes boni ab eis avocentur et malae ephemerides animadvertant, non sibi impune omnia licere.

Ille etiam agitationis huius scopus esse solet et ratio, ut ii, qui hactenus ex inadvertentia ephemerides malas emerint vel eis subscripserint, cartula postali ad editores missa subscriptioni renuncient, indicando, ideo se sic facere, quod ephemeridem istam religioni vel moribus Catholicis minus amicam esse invenerint. Quae res si a multis simul fit, non vacabit fructu; nihil enim adeo timent editores ephemeridum, quam ne lectores amittant (1).

(1) Quantopere hoc curent, exemplo ostendi solet: In magno aliquo diario narratio iocosa (feuilleton) erat imprimenda, in qua haec phrasis innocens occurrerat: "*... erat bibulus, quasi faber funicularius*". Ultimo momento ante impressionem animadvertit hanc phrasin diarii supremus administrator, atque subito totam narrationem ex typis compositis expungi iussit: "Habemus enim — inquit — inter subscriptores nostros 7 *fabros funicularios, quos offendere nequaquam licet!*" — Verum Catholicos licet offendere, quia ignave omnia tolerant.

Experientia teste constans impugnatio ephemeridum malarum et e Catholicorum familiis evulsio non caret emolumento: Catholici ab innumeris animi periculis servantur illaesi, et (quod plus est) ipsae malae ephemerides multo cautiores fiunt tonumque saepe omnino mutant.

B) Propaganda scripta bona.

Nec sufficit mala scripta impugnare; edenda sunt, legenda, propaganda bona. "Scriptis scripta opponenda".

Qua in re boni Catholici primo *ipsi* debent legere, subscriptione iuvare, attentione sua donare ephemerides, libros, literaturam catholicam. Dedecori sibi vertant, si hac in re ignorantes inveniantur. Est enim profecto dedecus: omnes scriptores profanos legisse, eos quoque, qui tantum de inimicorum industria maiores fiunt merito suo atque tamquam artis scribendi alpha considerantur; legisse Zola et Anatole France, Ewers et Weininger, nec tamen legisse nostros scriptores, historicos, narratores, multoque minus Augustinum vel Paulum vel ipsa Evangelia.

Deinde *alios* ad bonorum scriptorum cognitionem et amorem adducere debemus. Popularis aestimatio in litteratura est aeronavis valde dirigibilis: si quid multum laudas, repente augetur erga id attentio audientium. Sic si data opera memoras te splendidum articulum de hac vel illa re in ephemeride X legisse atque hanc generatim perpulchre res tractare, mox alii quoque illam ephemeridem legere incipient. Sunt qui ephemerides a se perlectas aliis legendas commodent aut ad nosocomia mittant, vel bonorum librorum bibliothecam adornent usui populari. Hac industria Congregationes multis in locis utuntur ad spargendam in vulgus bonorum librorum et diariorum notitiam.

Porro opera nostra conferenda est ad *augendos proventus* ephemeridum bonarum, maxime per mercium nunciationes (annonces), quae quidem ephemeridum sustentandarum columnae sunt multo firmiores ipsa subscriptione. Mercatores, bancarii, industrialesque nostri catholici hortandi sunt, ut merces suas bonis ephemeridibus annunciandas tradant; emptores vero (e. g. instituta religiosa) maxime iis mercibus primas dent partes, quas catholicis diariis nunciatas invenerint, mentione facta huius causae, ubi merces emunt.

Totam denique Catholicorum multitudinem saepe hortari oportet ad bona scripta legenda et propaganda, institutis ad hunc finem comitiis popularibus et agendo de hac re saepe in congressibus, associationibus etc.

Atque haec de simplici preli boni adiutorio dicta sufficiant. His enim modis quivis Catholicus et Sodalis mala scripta impugnare, bona propagare potest. Restant alia quaedam maioris momenti conamina et officia Catholicorum circa prelum, quae proxima vice breviter enucleanda erunt.

(Ultima pars sequetur.)

QUAESTIONES PRACTICAE

Possuntne mortui adscribi Congregationi? Nequaquam. Quod si cuiquam dubium per se videri possit, habemus responsum S. Congregationis Indulgentiarum hac de re: "An fideles, qui ex hac vita migrarunt, alicui Sodalitati adscribi valeant, ad effectum, ut ipsi suffragiis potiantur, quibus post obitum gaudent ceteri fideles, qui adhuc viventes alicui Sodalitati nomen dederunt? Resp.: *Negative...*" (14 aug. 1889. Cfr. *Mullan, n. 1876*).

Quandonam sint eligendi novi Magistratus Congregationis? Nihil in hac re stricte praescriptum est, sed ipsa Regula (21) indicat consuetudinem esse, ut officia semel in anno renoventur, "tempore in regulis [localibus], vel in consuetudine particulari statuto". Ubi consuetudo localis nondum est stabilitus, triplex occasio indicari potest. *Prima:* initium anni scholaris. Tum enim omnes (nec tantum discipuli) aestivorum otiorum pertaesi quasi ipsa natura duce ad novum laborem sese constringunt. Novae igitur vitae novi duces sunt designandi. *Alia* occasio est opposita: circa finem anni scholaris fit electio. Hoc enim est emolumentum electioni tali tempore factae, ut labente anno scholari omnes optime inter se noverint, vivamque servent earum rerum recordationem, quae illo anno evenerunt; quare melius iudicare possunt de idoneitate singulorum candidatorum ad singula officia maiora. *Tertia* occasio est: intra annum, circa festum titulare Congregationis. Auget namque sollemnitatem et aestimationem tituli Congregationis, si eo ipso die quasi claudatur annus et novus aperiatur, novo Consilio constituto.

Norunt tamen Directores experti, aliquando praestare omnibus illis temporibus *ex inopinato facere officiorum renovationem.* Accidit etenim tam inter viros, quam inter mulieres, imo quid dicam? inter ipsos iuvenes homunciones, ut factionibus inter se dissideant et altera pars alteram sui Candidati gratia quasi opprimere satagat. Tum optimum est ad cavendas dissidias subito et ex improviso electionem indicare intra ipsum conventum, propositis ternis nominibus ad singula officia suprema, atque statim ad electionem et suffragia concurrere, non data murmurandi et consilia concoquendi licentia. Imo aliquando, si nimis exasperatam partium discordiam Director cerneret, non esset a prudentiae legibus alienum Officiales omnes semel ab ipso Directore nominari, nulla facta electione.

Nec tamen passim aut sine vera necessitate ad talem agendi rationem Directori confugiendum erit, nisi deesse prudentiae eximie velit. Sapientis enim gubernatoris est, quam potest maxime ipsos subditos ad participandum in gubernando admittere et invitare. Melius enim et

suavius omnes gubernio obediunt, quod per se ipsi elegerunt. Vehementer autem falleretur Director, si toto suo iure semper uteretur atque Sodales, etiam adultos et viros, imberbium puerorum scholis adhuc operatorum more tractandos esse sibi fingeret. Neque enim convenit schematis iuridicis tantum duci; sed vita, ut est, videnda.

Estne desiderandum, ut Sodales apud suum Directorem confiteantur? Res non caret magnis emolumentis, attamen imprudentissimum esset, si Director ullo modo ad id Sodales ipse adigeret, vel id a se desiderari utcumque ostenderet. Una via ei panditur ad Sodales ad suum tribunal alliciendos: ut libenter eos, ubi accedunt, excipiat atque bonus confessarius sit. Tum sponte Sodales ad eius confessionale advolabunt, quasi apes argumentosae ad flores verno splendore offusos.

Estne opus Congregationis vexillo speciali? Certe non nocet habere vexillum; augetur eo sollemnitas actuum festivorum, nec momento quodam psychologico eiusmodi signum caret. Attamen error est, vexillum curare, quando Congregatio nedum in se consolidata est, resque multo maioris momenti desunt. Saepe vanitatis causa aut nimia externarum rerum aestimatione Director et Sodales nihil habent urgentioris negotii vexillo parando, quod omni pretio maius et splendidius esse volunt vexillo aliarum Sodalitatum, quae forte iam adsunt. Interim vero Sodales negligenter veniunt ad conventus et Communiones, Sectio aut Academia nulla habetur, nisi forte nomine tenus, Sodales fortasse ne communia quidem Catholicorum omnium religiosa officia ad amussim servant. Quid tum prodest vexillo superbire, quod ostentationi servit magis, quam veritati? Sunt certe eximiae Congregationes sine vexillo; et sunt Congregationes cum vexillo, sed ne nummum quidem valentes, atque vexillo Congregationis, imo nomine prorsus indignae. Ad utrumnam genus pertinere praestat?

Quotuplex Communio generalis exigenda? *Quaerit quis:* Quanam ego rigiditate Communiones generales Congregationis urgeam? Sodales enim mei — et de viris agitur! — maximam partem simul aliis associationibus piis sunt adscripti, quae suam quaeque Communionem generalem habent et urgent quolibet mense. "Quid vis Pater, sic aliquis ex eis nuper inquit, ego prima die Dominica mensis debeo ad Communionem generalem ire cum Associatione Virorum Parochiae meae, secunda Dominica cum Societate Nominis Iesu, tertia cum Pia Unione Altaris... ultima dominica cum Congregatione. Quandonam tandem quiete solus ad Communionem accedere permittar (per hebdomadam enim a Communione sumenda adiunctis arceor)? vel quando tandem Communionem "generalem" cum uxore et liberis meis facere sinar?".

Respondeo: Revera non est cur in eiusmodi adiunctis nimis rigide usum nostrum urgeamus. Neque enim scopus, quem Regulae ipsae intendunt, ille est, ut Communio omni impensa vi semper a Sodalitate tamquam uno corpore fiat, ubi certum est, Sodales iam alias Communione refici, imo saepius per mensem. Dicendum igitur eiusmodi Sodalibus est: veniant semel et iterum ad Communionem sodalitiam, ceterum autem facta iam aliis occasionibus Communionem generali, si devotione aut amore familiae impulsi privatim mensae divinae accumbere malint, id imperturbati faciant, cum venia certe Directoris.

De Patronis menstruis. Suntne schedae cum Patronis menstruis ubique adhibendae et distribuendae?

Respondeo: Mos ille pius in usu est multis in locis, sed Regulis nequaquam praescriptus. Videat sapiens Director, num per adiuncta, e. g. indolem, usum hunc adhibendum ducat, necne. Sunt enim, quibus istae formae mirum quantum arrideant, et sunt quibus minus.

De Sodalitate et parochiis. Apud nos, inquit quidam, Parochi saeculares omnes associationes a Parochia pendere, imo a Parochia absorberi desiderant, quod Parochiam dicant primariam sodalitatem et divinitus insti tutam. Quid nos?

Respondeo: 1. Vita parochialis utique pluris est, quam Sodalitates, unde conandum est, ut etiam per Sodalitates nostras vita parochialis promoveatur, nec Parochi aegre ferant separatismum quemdam exaggeratum e nostra parte.

2. Tamen ut sunt Parochiae (sive divinitus institutae dicantur sive minus), sic etiam sunt Ordines exempti ab Ecclesia rite approbati, qui sua opera libere evolvere debent; imo sunt associationes quaedam aliae ab Episcopis ipsis approbatae, quae ex ipso fine suo interparochiales sunt (sic multa opera culturae catholicae, socialis etc.). Ergo in neutram partem exaggeratio fiat oportet.

De urgenda praesentia in conventibus. Malum signum est, siquando toleratur, ut Sodales impune nec data ratione a conventibus ordinariis Congregationis absint. Primum enim in omni associatione est: socialem vitam agere, quae in Congregatione conventibus ordinariis potissimum continetur. Qui communes exercitationes Congregationis non curat, potest is quidem optimus Catholicus esse, sed non est Sodalis. In conventibus Sodales instructiones et adhortationes Directoris excipiunt, collatis in unum viribus ac consiliis scholam sese sanctificandi et apostolice exercendi sociali quodam modo percurrunt. Quare Regula 41 cum emphasi quadam "Omnes — inquit — *quam maxime* curent ut frequentent tempore ipso praescripto conventus generales Sodalitatis tum ordinarios tum extraordinarios".

Quare inculcet Director iam ante admissionem Sodalibus momentum huius Regulae. Declaret bene promissione, quam in actu admissionis faciunt, id quoque peculiari modo contineri, quod fideliter hanc Regulam sequantur. Officium hoc declaret honoris esse et fidei datae, atque servitium Marianum omnibus aliis curis et occupationibus praeire oportere.

Nec satis est monuisse. Ea enim est humanae naturae inconstantia, ut nisi *externa vigilantia* accedat, id ipsum facere, quod ipsi voluimus, neglegamus. Quare optima quaeque Congregatio sedulo vigilat et adminicula adhibet, suavi quadam vi Sodales ad servandam diligentiam hac in re adigit. Nec facile vigilantiae huic renunciandum est, usu enim satis superque docemur, ubicumque laxius hac in re vigiletur, mox irrepere negligentiam

et tam facile abusus increbrescere, brevi ut iam vix media, vix quarta pars Sodalium constanter ad conventus veniat.

Invigilandum esse praesentiae Sodalium ipsa Regula, quam citavimus, ostendit, ubi sic pergit: " Praesentia indicatur variis modis secundum uniuscuiusque Congregationis consuetudinem. Inter eos, qui maxime commendantur, *schedularum* usus est, quas quisque cum suo nomine tradit Officialibus ad hoc destinatis. Sodalis, qui non poterit alicui conventui adesse, verbo vel scripto Patri Directori quamprimum absentiae suae causam deferre debet, cuius erit iudicare, sitne legitima causa allegata ".

Unde concludes:

1. Varios esse modos vigilandi, secundum indolem ac consuetudines singularum Sodalitatum, sed ubique aliquo modo examinandam esse praesentiam vel absentiam.

2. Directori causam indicandam esse, cur quis abfuerit, atque huic ius esse decernendi, num legitima causa sit, ob quam abfuerunt.

Obiicere aliqui solent, vigilantiam istam adhiberi posse apud iuvenes et puellas, minus autem apud adultos et minime apud viros cultos et auctoritate pollentes. Quibus recte respondetur: omnia a modo pendere, quo res exponatur et agatur. Si bene et urbane exposueris, tali auxilio ob communem nostram fragilitatem opus omnino esse, si urbane eos rogaveris, ut libenter se huic disciplinae et ordinis praescripto subiiciant, res omni difficultate carebit, uti in Congregationibus florentissimis etiam dominorum passim videmus.

CHRONICA

Anglia. Sodales publice religionem defendentes. Mos est in Anglia, quem etiam alibi sequi homines coeperunt, ut in plateis publicis quicumque docere ceteros volunt, de suggestu nescio quo repente structo ad vulgus perorent, doctrinam sive religiosam sive civilem quamlibet populo accurrenti exponant. Qua institutione cum antea religionis plerumque osores usi essent, Catholici quoque sibi utendum censuerunt, illud Domini sequentes: " Quae auditis in tenebris, praedicate super tecta ". Aliqui etiam Nostrorum ita ad populum dicere coeperunt, mox tamen animadverterunt ad istud perorandi genus viros laicos esse aptiores. Quare pactis statutis societati initium dederunt, cui nomen " *Catholic Evidence Guild* ".

Ne tamen intempestivo ardore quivis religiosarum rerum ignarus proelium sacrum committeret, visum est Episcopis nullum publice ad populum de religione dicere oportere, nisi studiis ad id praeparatum atque periculo examinis facto probatum. Huic igitur apostolico labori nostri quoque Sodales, Collegiorum alumni, magno cum zelo se dedunt. Relationes narrant, quam serius hic labor sit, quamque assiduam praeparationem exigat. Iuvenes ad id selecti per menses bene excoluntur tam theologicis ac philosophicis quaestionibus, quam bene dicendi usu et ratione; tentaminis gratia ab ipsis sociis atque Patribus in ipso fluxu orationis interrumpuntur, obiectionibus perfunduntur, retorsione vexantur, nec quisquam publice rem tentare permittitur, nisi variis his impedimentis bene superatis. Tum solvere vela iubetur atque in procellas sese immittere. Ceteri clam populo miscentur, eaque quae in oratione ac disceptatione sive bene sive male egerit, fratrum more postea discutiunt.

Quantum deinde gaudium, si res bene acciderint, si veritas catholicorum dogmatum invicte patuerit, errores-que feliciter sint disiecti! Arduus aliquando labor est, quia inter audientem turbam frequentes adesse solent non tantum heterodoxi, socialistae et communistae, verum etiam aemulorum concionatorum emissarii, qui data opera fraudulentoque nisu conciones iuvenum Catholicorum turbare et evertere conantur.

Duplex apostolatus huius emolumentum imprimis profertur. Alterum est, quod sic religionis cognitio et ambagum confutatio vel ad eos penetrat, qui praedicatione ecclesiastica ordinaria nunquam attinguntur. Alterum, quod ipsi Sodales ad populum dicentes multum in fide cognoscenda et in arte eam defendendi ac propagandi proficiunt. Docendo enim discunt, pugnando et sese pro religione sacrificando in huius amore crescunt, erroribus ubique serpentibus cognitis atque animorum miseria propius perspecta ad agendum strenue pro Ecclesia accenduntur.

Quod quidem Anglorum Catholicorum exemplum, etsi non eodem ubique modo, iure sibi sequendum omnes Congregationes proponere possunt.

St. Louis, Miss. (America). *De Academia sodalitia Scholasticorum nostrorum.* Academia ista anno 1923 instituta constanter laborat ad Scholasticos nostros de re sodalitia edocendos. Theologorum 85 in ea de more conveniunt. Lucubrationes legunt et discutiunt, quarum e. g. tituli sunt: " Fundamentum Sodalitatis: sancti Sodales ", " de virtute et dexteritate in Directore requisitis ", " Congregationis aptitudo ad accommodandum se adiunctis et temporibus ", " actio tamquam vitae sodalitiae condicio sine qua non " etc.

Patres quoque veterani identidem Scholasticis divitias experentiae suae pandunt. Sic P. Spalding duas lectiones habuit: alteram " de actione sociali Sodalitatum ante suppressam Societatem nostram ", alteram " de Congregatione tamquam praecursore Crucis Rubrae ". P. Kuhnmuench " de officiis Directoris " dixit, quos iuniores Patres esse et laboris patientes vult, ut facile ab adolescentibus adiri se sinant, neque connexos cum externa Collegiorum disciplina urgenda. P. Shyne monuit iuniores discipulos in Sodalitate non solum semper a vitiis deterrendos esse, sed positivo amore virtutum et christianae vitae esse inflammandos; hoc enim plus valere modo negativo ad perfectos Christianos formandos.

In eadem urbe Sodalitas quaedam feminarum memoria digna est, quae 12 annorum tempore 135 altaria portatilia, 400 casulas, atque alia servitii divini paramenta magno numero composuit.

Bilbao (Hispania). Anno 1924 ex 600 fere Sodalibus 80 socii exercitiis spiritualibus sese Loyolae excoluerunt. 80 doctrinam christianam pueris tradunt. Tres

Conferentias S. Vincentii de Paula inter se adornarunt. 50 socii Sectionem adorationis nocturnae constituunt. Habet Congregatio centrum quoddam educationi ac recreationi ipsorum Sodalium destinatum cum bibliotheca splendide instructa, aula studiorum, aula musica, gymnasii etc. Quaestiones politicae longe ab hoc centro arcentur. Singulis centri partibus singulae Commissiones praeficiuntur e Sodalium numero. Ad eiusmodi centrum aditus etiam iis aliquando permittitur, qui nondum sunt Sodales, sed praemisso tentamine per 15 dies, et approbatione facta a centri praesidibns, qui e Congregationis primoribus sunt delecti. Sic splendida ista Congregatio apostolatum socialem cum pietate miscet.

Rio de Janeiro (Brasilia). Parvum exemplum e multis: matrona quaedam Sodalis ante aliquantum temporis scholam catecheticam instituit in colonia, cui coniux eius praeerat. Postea scholam fundavit et sacellum erexit, Sodalibus sociis ad id convocatis. Nunc 230 Sodales in colonia laborant 8 Sectionibus distinctae, quarum singulae singulas actiones pias dirigunt: Apostolatum Orationis, caritatis opera, Crucesignatorum parvulorum agmen catecheticum, opus ecclesiarum pauperum etc.

Lima (Peru). Sodalitatis feminarum Director, cum ad eum perlatum esset, Ministrum protestantem tempore aestivo synagogam suam clausisse, vehementer Sodales exhortatus est, ne eiusdem farinae esse suam religionem ostenderent, quasi Evangelium aut apostolicus ardor vacationes unquam admitteret. Quam cohortationem secutae strenuae Virgines atque Matronae constituerunt, etiam aestate singulis hebdomadis conventum Sodalitii ordinarium cogendum esse. Recte id quidem, ac certe iucunde eiusmodi decretum accidit *carcerum incolis*, quos invisere per annum Sodales amore christiano actae consueverunt, quibusque vacationi indulgere leges reipublicae nusquam indulgent. Neque carceratos solos, sed etiam senulos, quos Sorores Parvae Pauperum alunt, octavo quoque die invisunt bonae Sodales. Habent praeterea ad suae mentis culturam catholice promovendam Academiam quam *Bellarminianam* vocant, qua praesertim in fidei dogmatis ac controversiis sese excolant: alteram vero Academiam a *Cervantes* dictam, qua ad dicendum eleganter de religione formantur, idque derepente, i. e. 15 minutis tantum concessis ad parandam oratiunculam ad pueros de themate quocumque ad doctrinam christianam spectante.

Peregrinationes Sodalitiae. Sodales Germani et Austriaci. Ut ultimo fasciculo perhibuimus, tempore canonisationis S. Petri Canisii *Sodales Germani et Austriaci* magno numero Romam confluxerunt. Die 22 Maii in templo S. Ignatii circa 600 Sodales, fere omnes viri, mensae eucharisticae simul accubuerunt, missam offerente Patriarcha Alexandrino, Exc.mo *Huyn*, concionem dicente P. *Fonck*. Postea ad Patrem Nostrum salutandum ad Collegium Germanico-Hungaricum adscenderunt. Hic Carolus *Görgen*, Praefectus Sodalium virorum in Bonn, Patri Nostro vota omnium obtulit et Societati nostrae gratias pro S. Canisio eiusque opere egit. " Nisi Canisius — inquit — inter nos laborasset, nos viri Germani hodie vix hic Romae adstaremus ". Pater Noster respondit gaudere se, quod Sodales Germani tanto numero et fervore S. Canisium veneraturi Romam venissent. Quanta esset Congregationis utilitas, id a Canisio nos discere posse, qui maxime per Congregationes virorum et iuvenam fulciri opus sacerdotum voluisset. Per totum orbem renasci hodie in animis sensum religionis, desiderium quoddam Dei; nos igitur uti hac occasione oportere, ut huic desiderio recta via panderetur.

Hora 11 in Collegio " Massimo " *Directores et Praefecti* convenerunt ad breviter discutiendas quaestiones quasdam maioris momenti in vita sodalitia et id propositi enunciarunt, curandum esse, ut Praesides dioecesani Congregationum in singulis Dioecesibus constituerentur atque congressibus specialibus decernerent, quomodo sibi modo magis uniformi procedendum esset. Edixerunt praeterea magis propaganda esse folia et ephemerides sodalitias, quas Nostri in Austria edunt, ut rectus spiritus Congregationis ubique praevaleret.

Vespere hora 6 *sollemnior conventus* in Collegio Germanico-Hungarico habitus est, cui E.mus Card. *Faulhaber* cum Episcopo Fuldensi et Praelato Mehler. praesidebat una cum Patre Nostro et P. Assistente Germaniae et PP. Provincialibus Germanis et Austriaco. Interfuit conventui Dr. *Marx* excancellarius Germaniae, etiam ipse Sodalis Marianus. Orationes habuerunt Card. Faulhaber et Dr. Marx.

Sodales Croatiae plus centum die 28 Maii festivo agmine ad templum S. Ignatii concurrerunt ad devotionem simul peragendam. Eos exhortatus est P. *Alfirevic* tum Romae degens, benedictionem Exc.mus D. *Bauer* Archiepiscopus Zagrebiensis dedit. Nomine Primae Primariae et Secretariatus Centralis allocutus est eos huius ephemeridis editor. Modestior haec sollemnitas erat, sed ardoris Mariani et devotionis plena.

His diebus tandem Filiae Mariae de ss. Corde dictae (Enfants de Marie du S. Cœur) numerosissimae in Urbem convenerant ad canonisationem S. Sophiae *Barat*. Hae quoque turmatim ad templum S. Ignatii, Primae Primariae sedem veneraturae, accurrerunt.

Multi denique alii Sodales (Hispani, Lusitani, Poloni etc.) cum peregrinationibus generalibus suarum nationum constanter in Urbem advolant, etsi adiunctis vetentur sollemnitates speciales Congregationis obire. Mensibus aestivis Sodales Americani Statuum Unitorum magno numero adventuri exspectantur.

Gratias pro obolis: R. P. *A. G.* Sault-au-Récollet (Montréal) L. 50. — R. *P. B.* Batticaloa (Ceylon) L. 50. — P. *A. de B.* Paris Frc. 40. — P. *J. R.* Mexico. doll 25. P. *A. B.* Denver, doll. 10.

P. Henricus de la Chaise (Prov. Camp.) subitanea morte in Gallia decessit. Erat vir Congregationum Marianarum per Galliam restaurandarum zelosissimus, novaeque ephemeridis sodalitiae (Les Cahiers Notre-Dame) fundator et primus editor. Magna cum eo spes rerum Marianarum excidit. RR. PP. Directorum ss. SS. impense commendatur. R. I. P.

Ex Annalibus veterum Congregationum

(Gasp. Lechners: Sodalis Parthenius, Dilingae, 1628)

" Quod subnectam et exempli optimi est et facti voluptatem magnam habet. Agennensis Sodalitii Praefectus iuvenis generis antiquitate et avita maiorum gloria illustris fuit. Confluxerat ad urbem vicina Nobilitas, ut Proregem Aquitaniae adventantem exciperet. Multi erant iuveni illi sanguine coniuncti et familiariter eum cognorant, ideoque subinde ad eum visebant. Dum de variis inter se ultro citroque sermones conferunt, unus quispiam: " Ceterum ", inquit, " insignes forma ac genere Dominas simul advenisse scire vos arbitror ". Alius: " Quin igitur imus ", inquit, " visum? ". Et ad iuvenem nostrum conversus: " Et tu Theophile ", inquit, " nobiscum ito, et unius tibi alicuius favorem conciliato ". Erubuit ad dictum verecundus iuvenis, et: " Ignoscite ", inquit, " Dominarum ego gratiam non ambitiose quaero. Vitae meae rationes me ab hoc muliebri obsequione dicam an servitute iam pridem revocarunt ". Iam enim animum induxerat, divino cultui se mancipare. Cum alia insuper afferret, quibus officium illud deprecaretur, urgebant illi contra, importuniusque, uti secum iret, instabant. Ne igitur inurbanus agrestisque haberetur: " Agite ", inquit, " ne pertinacius amicis relucter, aliam vicissim operam mihi promittite; quam a me petistis, haud invitus praestabo ". " Dic ", inquiunt. " Primum ad eas ibitis ", inquit, " quas ego conventas voluero. Tum porro ad vestras, si lubet ". " Faciemus ", inquiunt, " duc, quo voles ". Ille igitur die constituto splendidiore vestitu se exornat, frontem solito elegantius comit, auro gemmisque superbissime se ostentat, ut qui modestiam hominis norant, vehementer admirarentur. Procedit nobile agmen: venitur ad aedes prima fronte magnificas. Propylaeum fenestraeque altiores nobilem incolam spondebant. Pulsatur. Seniculus satis officiose accurrit, foresque reserat. Ibi cum certaretur, quis primus ingrederetur, " Date veniam ", inquit Theophilus, " rusticitati meae, quod primus irrumpam; volo tempori parcere, quod inter haec certamina effugit ". " Recte tu quidem ", inquiunt, " Theophile, et moras importunas abrumpis, et familiaris per notas aedes deducis ". Cumque in atrio vellent resistere, ne de improviso importunius intervenirent Dominis: " Nil verendum est ", inquit ille, " minime fastidiosae sunt hae Dominae ". Pergit deducere. Illi interea verborum gestuumque compositiones meditari, vestes decenter accommodare, denique providere, ne delicatos Dominarum oculos quidquam offenderet. Postquam in parthenonem, ut credebant, deducti sunt, mirificissimum spectaculum illis oblatum est. Erant ibi aut veternosae anus lippientibus oculis, buccis fluentibus, labiis demissis, incurvae, edentulae, pannosae, macie illuvieque squalidae aut foedissimis morbis afflictae mulierculae, lectulis pleraeque affixae. Morbi senectutisque stabulum illud erat. Aliae fila ducebant digitis marcentibus, et inermi gingiva inaequalia stamina morsu complanabant; aliae detritas togulas pellium frustulis resarciebant, atque ad fallendum laborem anile aliquod carmen hiabant verius, quam canebant. Duae tunc forte nescio super qua re contentissime litigabant, et promptis convitiis sese inter se atque omnium aures proscindebant. Multae siccissima tussi tenacem animam eiectare velle videbantur. Ubi introgressi sunt iuvenes, aniculaeque suum Theophilum aspexere: " Venit ", exclamant, et rebus suis omissis tremulum gradum accelerant, " O noster ", inquiunt, " salvum te advenire gaudemus "; manuque porrecta sessum invitant. Una tum caput pexuerat, et breves ac raros pilos in nodum colligere laborabat; haec Theophilo conspecto, ita ut erat, soluto capillitio, et ridens catuli ore gallicani officiosissime novos, ut rebatur, Theophilos conciliare, novosque maecenates parare studebat, aniliter multa garriens ac blandiens. Stabant inter haec compti iuvenes attoniti, et tarde senserunt se pro gynaeceo in Xenodochium deductos fuisse. Corrugata igitur fronte omnia illa femi narum officia aversabantur, dubii: irascerenturne, an riderent, in fraudem piam se a Theophilo inductus fuisse. Quos ille, humanissime iocans, ad hilaritatem et paria obsequia praestanda invitabat: " An vultis ", inquiebat, " o amici, ut cum ad vestras me Dominas deduxeritis, tristi adeo ore atque averso vultu eas aspiciam? Quin frontem exporrogitis et has vere Dominas salutatis? " Quid multa? effecit virtus iuvenis ut pro indignatione admiratio eos occuparit tam rarae sanctitatis, caeperintque laudare ingeniosam pietatem. Denique erogata liberaliter in miseras eleemosyna discesserunt, et Theophilo de feminis posthac visendis negotium nullum amplius facessere tentarunt. Vidit sapientissimus iuvenis formam decusque oris fluxa esse, quae mortales mirantur; atque id in vetulis amicos suos docere voluit " (312 sqq.).

TELEPHONIUM EDITORIS

Rogantur RR. PP., ut fasciculis *Silvae Marianae* in clero saeculari et aliorum religiosorum Ordinum propagandis opem suam nobis praestent. Quem propagandi laborem ut leviorem reddamus, aliquas *cartulas postales* propagativas fasciculis huius nostrae " Aciei Ordinatae " adiungimus. Rogantur PP., ut has cartulas ad unum alterumve sacerdotem sibi notum ac fervidum mittere velint.

Neque enim sufficit *scribere*, sed opus est scripta propagare. Multi essent Congregationis fautores, si eam bene cognoscerent. Nuper sacerdos quidam saecularis casu invenit nostrum " catechismum parvum ", eum avide percurrit, statim alia scripta de Congregatione tractantia quaesivit et ait: " Si scivissem, ita Congregationem concipi oportere, melius Congregationes aestimassem et meam gubernassem ". Itaque quaeramus etiam nos semper novos Congregationis amicos, scripta ista propagando!

De altero Centenario Canonisationis S. Aloisii de Gonzaga, Patroni studiosae iuventutis, (31 dec. 1926) digne et fructuose obeundo nunc deliberationes fiunt. Quaeritur modus hunc anniversarium ita celebrandi, ut non solum splendori externo, sed etiam animarum utilitati quam maxime consulatur. Ubi quid certum sciverimus, lectoribus proferemus. Interim id certe nobis statuendum videtur, omnia movenda esse, ut Congregationes Marianae, maxime adolescentium, primo omnium loco ad apostolatum illum Aloisianum concurrant.

Editor: *Adalbertus Bangha S. I.*
Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Orazio Coclite, 50 *A*